

in partibus Cis- et ultra-Danubianis ad hanc Civitatem Posonien. indicendorum; ac etiam in Regno Sclavoniae, in Civitate Montis Graecensis Zagrabensi peragendorum; renovatur Art. 51. Anni 1625.

**FERDINANDI II. IMPER. & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1635. ARTIC.
POST CORON.**

*Dicæ et Contributionis in duos Annos impositæ, exactionis, ac errogationis
modus praescribitur et limitatur.*

A r t i c u l u s 1.

5. Ordinatum item est, ut omnes et singuli Regnicolarum, quaesturam exercentes, quicunque hactenus et a quibuscumque rebus et mercibus ad solutionem Tricesimarum obligati fuerunt, cujuscunque tandem Status, dignitatis et nationis illi sint, etiam Cumani et Philistaei; ultra ordinariam Tricesimam, in usum et necessitatem veteris Militis Confiniarii, Dimidietatem ordinariae Tricesimae, in omnibus Regni partibus, nec non Sclavonia et Croatia pendent: Ejusmodique dimidiatam pensionem Tricesimalem, Tricesimatores sub Juramento ipsorum superinde deponendo, ad Cameram Ungaricam administrare sint obligati (exceptis tamen omnibus praemissis contributionibus Regnum Sclavoniae et Croatiae, quae non ad Cameram, sed in exolutionem Militum in Confiniis Colapianis Banalibus existentium, per Regnicolas erogentur) non in alium, quam praemissum finem, necessitates nempe et Salarium Veterani Militis Confiniarii erogandum, sub praemisso onere reddendae rationis.

*Officiales et Ministri militiae, ad rationem suae Majestatis militem conscribentes
atque eduentes; qualiter in delectu, conductioneque procedere debeant?*

A r t i c u l u s 10.

§. 2. Ut nimirum Capitanei talium militum consribendorum, patentes literas suae Majestatis, ipsis assignatas primum et ante omnia, Domino Regni Palatino; deinde Generalibus Regni Capitaneis; in Sclavonia Domino Bano, ac tandem in illis Comitatibus, in quibus nempe delectum habere voluerint praesentare; atque tam in condescensione, quam eductione delecti militis, ab eorundem Comitatuum directione, dependere debeant ac teneantur.

*Pro Octavalium Judiciorum continuaanda celebratione, Praelati et Assessores
in locum defunctorum vel promotorum.*

A r t i c u l u s 14.

Ut autem statis (prout sua Majestas clementer admonet) Octavalia Judicia temporibus, ad Mandata suae Majestatis cursum suum habere possint, tam in Hungaria quam Sclavonia.